

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Error h
cum fonte primo

Quidam eorum qui libenter habent criminari proximos suos, ascribunt nobis et doctrine nostre crimen blasphemie quod a nobis nunquam audierunt.

Dicunt enim patrem malicie et perdicionis eorum qui de regno eiciuntur, id est dyabolum, me dicere esse saluandum, quod nec aliquis quidem mente captus et manifeste insaniens dicere potest. Sed nichil michi mirum uidetur, si adulteretur doctrina mea ab inimicis et illa corruptione corrumpatur, quali corrupta est epistola Pauli apostoli. Nam quidam sub nomine eius falsam epistolam conscripserunt ut conturbarent Thessalonicenses quasi instaret dies Domini et seducerent eos.

Origines in epistola apologetica sic se excusat.

“Quidam eorum qui libenter habent criminari proximos suos, ascribunt nobis et doctrinae nostrae crimen blasphemiae, quod a nobis nunquam audierunt.

De quo ipsi uiderint, nolentes obseruare mandatum illud quod dicit quia:

Maledicti regnum Dei non possidebunt,

dicentes me patrem malitiae ac perdicionis et eorum

qui de regno Dei eiciuntur, id est diabolum, dicere esse saluandum:

quod ne aliquis quidem mente motus

et manifeste insaniens dicere potest.

Sed nihil mirum mihi uidetur,

si adulteretur doctrina mea ab inimicis et tali adulterio corrumpatur,

quali adulterio corrupta est epistula Pauli apostoli.

Quidam enim sub nomine Pauli falsam epistolam conscripserunt,

ut conturbarent Thessalonicenses, quasi instaret dies Domini,

et seducerent eos.

Tyrannius Rufinus, *De adulteratione librorum Origenis*, 7
(CCSL 20, M. Simonetti ed., p.11, ll.4-16).